

140 *BÖN VID DISPUTATION 27.IX 1848**HUB, Studentbiblioteket*

O Deus sanctissime! qui hominum regis pectora in veritate perspicienda, in honesto colendo, adsis nobis omnibus, ne nostro arbitrio, quod verum & honestum est, in contrarium pervertamus! Patriam carissimam ex gratia tua tuere! Salvum fac Imperatorem Augustissimum, Cæsarem, imperii hæredem, totamque Domum Cæsaream! Hanc tuo rege spiritu, veritatis teste, Universitatem, docentes & discentes, quo omnes animum ad veritatis & virtutis studium intendant sincerimum, vitæque peracta diem obeant supremum grato erga Te animo, ipsi gratiis bene digni posterorum!

141 *LECTIO PRÆCURSORIA 27.IX 1848**HUB, Studentbiblioteket*

A<uditores> H<onorati>. – Cum mos sit vetusta, ut disputationes Academicæ verbis quibusdam præcursoriis inaugurentur, mihi quoque veniam detis, humillime quæso, pauca hoc loco

De philosophiæ in studiis academicis vi

afferre momenta.

Omnes sine dubio scientiæ artesque liberales animum bene formatum ad studia instigant, patriæ generique humano profutura. Attamen æqualis minime est omnium disciplinarum cum ceteris nexus, nec itaque omnes eandem per se exserunt vim in vera humanitate colenda. Putaveris quasdam disciplinas devotionem quasi cultoris requirere plenior, cum parum homini tradant cognitionis ad vitam agendam necessariæ, nulla plane fidei atque morum præcepta. Cujus generis mathesin disciplinasque mathematicas nec non disciplinarum naturalium plurimas esse, quisque facile concedet. Nam his certe studiis colitur ingenium studiosi, atque ad maximam felices eorum progressus generis humani conducunt utilitatem, veram igitur aliquando promoturi humanitatem. Nulla vero per se neque docenti neque discenti tradunt vitæ honestæ præcepta, nulla, quibus hæc innitantur, principia, rationem hominis spiritualem expositura. Quis e. gr., qui mathesi operam dederit, ex hoc studio cognitionem quandam de ratione & fine vitæ humanæ, de vita civium communi, de officiis erga rempublicam hausit? quis tandem ex illis, spem sumsit firmam perfectioris humanitatis, aliquando humanis solatium præbituræ pectoribus?

At jam attulimus, has easdem disciplinas ideo majorem in cultoribus quærere animi devotionem. Submissee sane vitam peragit, quicumque, spe ductus veritatis promovendæ, in eo elaborat, ut rerum sibi aliisque cognitam faciat naturam, ne ipse e studio laudato id quidem capiens utilitatis, ut vitam degere mortique obviam ire edisceret. Quæ vero devotio animi per se jamjam fundamentum efficit vitæ honestæ fideique, in vita virtutem in morte solatium præbentis. Quicumque enim agnoverit, hominem non sibi vivere, sed generi humano, is certe lubens, pectus vera impleri atque regi, patietur, humanitate. ||De qua re Scholasticus: »Sunt, qui scire volunt, eo tantum fine, ut sciant, et hoc est inutilis curiositas, alii ut sciantur et hoc est superba vanitas – tu autem disce, ut ædificeris & ædifices; illud religio est, hoc caritas.»||